


11204. V. 13. 6. 28

13992





TRACTATUS

D E

*DIMINUENDO*

S U B

*PARTU FŒTUS CAPITE*

A U C T O R E

ANTONIO MELZER

Professore Anatomes in Cæsareo Regio Instituto

Medico Chirurgico Labacensi.



LABACI 1821.

Typis Leopoldi Eger, Typographi Gubernij.

Potest interrogari num detur obstetricator  
quin prolem jugulasset ?

Pag. 29.

IN=030006873

# CONSPECTUS RERUM.

---

De diminutione capitis in genere.

---

De diminutione capitis in specie.

## S E C T I O   I.

*Diminutio capitis spontanea.*

## S E C T I O   II.

*Diminutio capitis evacuatione humorum  
e cavo cranii peracta.*

## S E C T I O   III.

*Excerebratio.*

## S E C T I O   IV.

*Basiocæsura.*

## A P P E N D I X.

*De præstantia basiocæstri præ ceteris hujusmodi instrumentis.*

---

# CONSPICUOUS RERUM

De divisione cibis in bestie.

De divisione cibis in sero.

## SECTION I.

De divisione cibis domino.

## SECTION II.

De divisione cibis animalium  
et cibis animalibus.

## SECTION III.

De divisione cibis.

## SECTION IV.

De divisione cibis.

## SECTION V.

De divisione cibis.

---

## P R A E F A T I O.

---

Cum obstetricandi munus grave et a republica minus quam par honestatum plurimos (alii cuidam negotio idoneos) deterreat, et a se abarceat, non ægre erat in illo præsertim inter nostrates etiam modico ingenio excellere.

Hac ratione, et ob faustos quosdam meos jam ante vigenti, et quod excedit, annos in partibus difficilibus intercessus abesse non potuit, quin, postea crebre accersitus, etiam arti, quæ mihi valde non arriserat, peculiarem operam navassem,

atque subinde incurrissem in angustias hu-  
jus artis, quibus effugiendis solitae auxi-  
liandi methodi non semper sufficiebant.

Ea vero non minus obstetricantem,  
quam obstetricandam premente difficultate  
potissimum inquietabar, quæ emergit,  
dum caput fœtus sua mole in pelvis canali  
sub partu arte absolvendo adeo dispar in-  
venitur, ut nec integrum obtusis, nec  
evisceratum hactenus notis acutis instru-  
mentis congrue evelli possit. Funestos  
eiusmodi casus perpetuo reformidans non  
destiti mentem intendere in detegendum  
auxilium, quod terminandæ huic miseriæ  
sufficeret. Solerti demum indagatione in-  
notuit, quod mihi obstetricanti maxime  
proficuum, et publica disquisitione omni-  
no dignum videtur.

Cum in prægrandi basi capitîs fœtus  
scœpissime obstaculum partus observetur,

excogitavi ad bene destruendam ipsam, fœtu autem jam defuncto, instrumentum, quod non ad mensam scriptoriam, sed in cadavere et muliere vivente congruum approbavi, persuasus fore ut id, licet forsan alienis minus arrideat, multi interea in necessitate versantes libenter amplectantur.

Ante aquam autem ejus structuram, et applicandi modum exponere ingrediar, rationes, quibus ejus tam terribiles in corpus humanum invasus excusantur et expostulantur, merito præcedant.

Hæc momenta jam ponderosissimi in arte obstetricia viri, quos inter præsertim quondam meus Professor (Cl. Boer) gravia habuerunt. Iisdem nixus, licet fœtus vitæ defensores, qui instituendam excerebrationem haud admittere videntur, meæ inventioni non faveant, minime hæ-

sito instrumentum in certis casibus valde  
conveniens et adhibere et usui commen-  
dere persuasus, qui forsitan interventuri  
sint, abusus non ipsi, sed ejus præcoci  
aut incongruae applicationi adscribendos  
esse.

In perlustrando denique hoc opuscu-  
lo, quod potissimum hujus instrumenti  
gratia in lucem prodiit, eloquentia, quam  
non admodum excoluisse ipse fateor, mi-  
nus respiciatur rogo. Non tam sermonis  
splendore excellere, quam tenoris valore  
prodesse studui. Unicus, ut rite intelli-  
gatur, erat scopus

*Auctoris.*

per se omnesque menses magis tardiori sunt  
obstetricales, ut in primis etiam claususculi obliterari  
et dilatari. et dilatatio sicut etiam tardiori sunt

## De diminutione capitis in genere.

**C**apitis fœtus diminutio obstetricanti est, dum istud quaque aus positive aut relative per amplum ita extenuatur, ut undique et sufficienter pelvis cavo, quod permeare oportet, respondeat; contingat hoc vel compensando latitudinem sublatam capitis aucta longitudine, vel dissolvendo caput in frusta.

Diminutio vero capitis duplex consideranda est, quæ scilicet vivente adhuc fœtu, et quæ non nisi præcedente morte admittitur. Illi ad censemur 1) diminutio spontanea capitis committante tumore verticali, 2) diminutio capitis evacuatione humorum e cavo cranii peracta. Huic adjicimus 3) excerebrationem hactenus usitatam.

A

et b) basiocæsuram sive destructionem basis cras  
nii.

Tres priores jam dudum pernotæ rei  
magis illustrandæ gratia recitantur. Solummodo  
ultima fructus meæ a necessitatibus urgentibus  
inductæ meditationis est, nec non, ni fallor,  
efficacissima et præstantissima, quod præsertim  
**ex appendice ad calcem adnexo innotescet.**

---

# De diminutione capitis in specie.

## S E C T I O   I.

### *Diminutio capitis spontanea.*

Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.

Hor. Sat.

**Q**uae hanc capitis diminutionem necessarie committatur , aut potius antecedit , intumescentia partium mollium imprimis consideratur.

Quemadmodum vigens organismus proportione intensæ affectionis et vulnerabilitatis partis correptæ varios reactionis gradus exserit , ita

et in partu pulsa ad pelvis non peramplam oram pars quæcunque fœtus viventis varias subit alterationes, inflammatur, intumescit; suggillatione humorum turgescit, raro interea abiens in colliquationem gangrænosam.

Cum autem aliæ partes fœtus tam firme et undique a pelvis ambitu non excipientur, quam caput, neque vires uteri motrices in illas tantum, quam in hoc agere videantur, in capite potissimum sub partu laborioso deprehenditur tumor verticalis neonatorum sive caput succedaneum (Rœderer).

Licet ejusmodi capitinis intumescentiæ a nonnullis vel collo uteri nimis rigido, vel partibus genitalibus externis sat resistantibus præcipue prima vice parturientium, vel ipsis attactibus insanis obstetricantium utriusque sexus attribuantur, tumorem verum verticalem, uti magnus et frequens deprehenditur, a pelvis duri tie inductum considerabimus.

Vix mentione dignum videtur hæc omnia ab interceptione circulationis humorum redeuntium derivare, nisi oporteat distinguere tumores etiam in mortuis conspectos, qui non in elevatione partis, sed potius in compressione circuli flaccidæ vicinitatis consistunt.

Præsumitur solitus tumor verticalis in quolibet partu difficiili præcedente capite, ubi ultimo graviditatis mense solita ventris subsiden-tia desideratur; incipiente partu uteri orificium pelvi non immergi, sed supra introitum pelvis dilatari, et disparere observatur; et tum sub ve-hementissimis parturientis doloribus caput im-mobile videtur. Clare denique manifestatur, dum continuatis per aliquod tempus doloribus tangi-tur digitis tumor in vagina teres, submollis, ela-sticus, adeoque explens omne meatus spatium, ut vix erui possit, ubi basis cranii hæreat. Non raro intra genitalia matris externa tumor, ut cer-ni possit, profertur basi restante in introitu pel-vis; ideoque interdum fallens minus peritos, ut partum brevi successurum opinentur.

Conditionibus ceteroquin faventibus, uti succulentis symphisibus ossium pelvis, laxitate capitis fœtus, et virium matris abundantia dum absolvitur partus, clare in conspectum denique venit, de quo agitur, tumor.

Hæc vitiositas capitis vehementis quidem affectionis gradu variat. Sed nisu, quo pollut neonati reformationis, atque exempti influxu va-riarum diathesium morbosarum, quarum impe-rium modo seniori ætate suscitari solet, fere semper salutari eventu gaudent, resolutione

nimirum tumoris, nisi recenter et forte de industria tumor offendatur.

Cum ideo recenter natus et illibatus organismus sibi ipsi quoad vires reformationi necessarias sufficiat, neque indigeat ope extraneorum remediorum, quæ potius irritando infestarent, merito obstetricantibus inculcatur, ut parcant prolibus his omni attactu. Calor modicus ad resolutionem tumoris maxime expediens fomentis præsertim sustentari potest, abarcendis nihilominus ingredientibus aromaticis, quæ nicio odore vicino olfactus organo, et mediante hoc ipsi cerebro noxæ esse solent.

Non raro vascula a sanguine retento expansa disrumpuntur, fundentia tum contenta sua qua spatium datur. Ut plurimum ejusmodi suggillationes galeæ aponevroticæ subjacent sistentes tumorem plus minusve circumscripsum, sub attactu fluctuantem, et tectum tegmine universali non dispari.

In quantum universi proinde organismi affectio cieatur evincere difficile est. Non permagni interea videtur momenti; cum tella cellulosa galeæ aponevroticæ subiecta, non admodum resistens, reactionem minus considerabilem offerat. Hanc ob rem et in hac tumoris specie cu-

randa eadem præstant ac sufficiunt, quæ in superiori integumentorum capitis intumescentia salubria adhibebantur. Iis extravasati humores ad reabsorbendum apti, vasaque ad reabsorptionem magis idonea redduntur. Docet quoque experientia ejusmodi tumores sua sponte plurimum evanuisse.

Cum interea in ejusmodi organicis processibus nonnunquam ignoremus, quid naturæ quid artis sit, persuasi autem apperto tumore, quin minimum detrimentum adferatur, contenta eliminari posse, in tali casu ope subtilis lanceolæ humoris evacuationem præ spontanea reabsorptione præferimus, quoniam tumore sibi reflecto, ut absorbeat, natura plus temporis et moliminis indiget.

Neque comprimendo, ut ultima explodatur gutta, opus est; per quod potius nova cum suis noxis offensio suboriri potest. Neque evacuatione facta a rationalibus metu præmaturæ conglutinationis apperturæ interjicitur turunda e linteo carpto confecta. Nam absorptionis negotio in neonatis pervalido, quod superest, brevi aufertur. Et si quid novi secerneretur, præstat pungere repetitis vicibus, quam aperturæ introducere una cum aëre atmosphæreo turun-

dam, quibus non raro exulcerationes induci solent. Linteolum oleo quodam blando et recenti imbutum et plagulæ superimpositum est omne, quod rationaliter hic ad tuendam plagulam adhiberi potest, ne a quoque alio corpore heterogeneo irritetur, neque linteolum ipsum adglutinando irritans evadat.

Profundius accumulari humorem scilicet sub pericranio, tumoremque proinde enasci rarissime observatur. Unicum mihi ejusmodi exemplum plures ante annos occurrit incertum tamen, num effectus e pressione capitis ad pelvin, num ex alia causa ignota inductus fuerit.

Natus est infans partu laborioso præ se ferens tumorem verticalem, qui ceteroquin nihil consideratione digni exhibebat. Inquietudo, qua agitari videbatur, solito more diversis affectionibus, et internis ex causa ignota orientibus convolutionibus imputabatur, nemine suspicante, in tumore fomitem harum agitationum latere posse, præsertim cum tumor solitus evanescere non desineret. At, dum ille ex maxima parte evanuit, in ossis bregmatis dextri medio cernebatur tumor, adhuc dum reconditus, magnitudine nucem juglandem nonnihil superans. Qui, cum tangeretur, sensum reddebat elasticum spongiae

analogum, marginemque in sua circumferentia tam acutum atque durum exhibebat, ut cuiuslibet tangentis defectus osseæ substantiæ subesse vide-retur.

Non mirum, quod crederentur per hiatum hunc naturalem præsumptum, quæ in crano continentur, penetrasse, et herniam stitisse cerebralem.

Metu itaque cerebri offendendi neque rudiores attactus, quibus res magis eluxisset, neque medicamina alia, cum inania haberentur, adhibita sunt. Otiari oportebat, donec sub convulsionibus ægrotulus exspiravit.

Sectio post mortem nutu et desiderio parentum, qui in tumore causam mortis suspiciari incipiebant, instituta demonstravit tumorem, qui antea herniam mentiebatur cerebralem, membra sanguinis pericranium inter et os bregmatis dextrum suggillatione productum, marginemque fallacem a coagulato sub pericranio humore, ubi id ulteriori ab osse separationi resistebat, ortum esse.

Penituit nos neglectæ incisionis.

Si enim suggillatus et ulteriorem a crano separationem moliens sanguis eandem totius

organismi turbam , et mortem inducebat , hæc incisione evitata esset. Si autem eadem phœnomena morbosa una cum morte ex sistente nervoso , latente adhuc causa , alterato ( in reliquo enim organismo nullum nostris sensibus perceptibile vitium cernebatur ) enascabantur , incisio nihilominus innoxia , nec ipsa præsente hernia cerebrali , et ipso forte leviter vulnerato cerebro adeo , uti in primo casu incisionis intermissio erat , funesta fuisse.

In alias degenerationes tumor verticalis rarissime abit , nec mihi unicus , quamvis hoc fieri posse inficias ire nequeo , gangrænescens comparuit. Potest hujus raritas declarari tum ex elasticitate ossium craniı ingenti , quæ ægre in tantum resistunt , ut exinde humorum circuitus desinat ; tum ex summa et adhuc illibata vitalitate , qua pollet , et omni resistit injuriæ puerilis organismus.

Quemadmodum igitur pressio , quam caput fœtus a pelvis orificio ad inducendum tumorem experitur , raro sufficiens est ad una auferendam partis vitam , ita quoque , si ad id efficiendum adesset sufficiens violentia aut resistantia , destruerentur etiam aliae , quæ

absque vitæ discriminine lædi haud patiuntur,  
partes.

Pressio, quam hactenus fœtus caput a pelvi expertum est, limitabatur solummodo ad partes ambientes molles, quæ proinde intumescentes non sistebant diminutionem, potius augabant molem capit. Nonnisi continuata diutius pressione cedunt denique cranii ossa fornicalia, committuntur comprimentia simul cerebrum, sibique mutuo superponuntur, quo sequitur, ut caput erga pelvum revera diminutum solito longius compareat.

Solent potissimum superimponi margo sagittalis alterius ossis bregmatis margini sagittali alterius, horum ambo margines anteriores marginibus coronariis utriusque partis ossis frontis, posteriores autem osseum parietalium margines acuminato hic loci ossi occipitis. Omnium maxime cedunt ossa parietalia et comprimi patiuntur. Ut interea reduci in pristinum valeant, anteriores et inferiores anguli alis majoribus ossis sphenoidei firme adnectuntur, unde nisus ad repositionem enascitur. Fortius insinuatur craniī basi os frontis et occipitis, omniumque maxima gaudent hic firmitate petreæ partes ossium temporis; hinc et illorum compressio minor,

validiorque renisus quam ossium parietalium, et harum nulla cessio observatur.

Omni compressione cranii cerebrum simul in minus volumen redigi per se intelligitur. Quod vero tantæ nobilitatis organon eandem absque turba ac detimento patiatur, ægre comprehendendi potest. Forsan latet ratio in lenta et successive aucta, quæ inde facilius fertur, pressione: uti nobis exemplo est hydrocephalus internus, quo cerebrum magnopere, salva tamen sua functione cogitur. Forsan quoque assumi potest in fœtu quasi ente automatico et functionibus sensorii communis destituto cerebrum non dum evolutum eam consecutum non esse subtilitatem, et intollerabilitatem, qua in adultis minimæ consuescit succumbere injuriæ.

Ossa, quæ sc̄epe convelli experimur primo intuitu terrentia nulla ad pristinum repositione artificiali indigent. Coëuntia in basi cranii mutuo ita firmiter excipiuntur, ut exinde nisus enascatur, quo ossa restituuntur in statum, quem, antequam violentæ cedebant pressioni, occuparunt. Incipiunt quoque in ipsa pelvi erigi, dum pressio aliquanto cessat.

Omne tentamen reductionis artificialis proinde unanimiter vanum et infestum habetur.

Et si qua forte in medietate alicujus ossis foveola comparet introrsum tuber indicans, non metuendum est inde cerebrum infestari; nam ossa huic leviter adhuc adjacent, neque hoc illis, sed illa huic cedunt, et accommodantur. Maturescunt quoque cum ejusmodi foveolis, quin aliqua cerebri functio turbetur.

---

## S E C T I O II.

### *Diminutio capitinis evacuatione humo- rum e cavo cranii peracta.*

---

Non est in medico semper, relevetur ut æger,

Interdum medica plus valet arte malum.

O. Pont.

---

**Q**uae hic refertur diminutio solet institui in ingenti atque aquis repleto fœtus cranio, sive hydrocephalo, et lethalitati adeo propinquat, ut vix exstet exemplum servatæ prolis.

Periti deducunt hydrocephalum a diversis fœtui in sinu matris adactis injuriis, nimirum a contusionibus ad matris ventrem, a strangulatione per funiculum umbilicalem collum fœtus ambientem indueta, nec non a sic dicta incuneatione capitinis fœtus \*). Sed deficientibus his omnibus sœpissime hydrocephalos dari, et iisdem ingruentibus potius abortus et similia

---

\*) Richter Anf. Gr. T. 2. §. 281.

phœnomena induci observantes merito supponimus aliam hujus morbi speciei subesse rationem, quæ nos quidem sicut in hydrope adulorum latet, nihilominus ab alterato systemate exhalante et absorbente derivanda.

A debilitate absoluta alterius et auctis viribus alterius systematis hydrocephalum deducere; seu dimunutam vim reabsorptionis et auctam secretionis in eodem organo admittere vello rationali consequentiaæ non concordaret; idem enim agens varios sibique plane contrarios effectus in nostrum organismum inducere nequit. Utrumque sistema laxari verosimilius est, et explicatu facilius; idcirco exhalantia vasa laxata impulsos humores minus retinere et absorben-tia exhalatos minus recipere valent.

In fœtu ejusmodi laxitas a prima jam formatione assumenda est, quoniam desiderantur debita ad hanc producendam momenta.

Quoad loca, aqua ubique cummulari potest, ubi spatium datur, atque opus exhalationis et reabsorptionis una cum processu materici mutationis turbatur; non minus igitur in capite et quidem in diversis locis aqua colligitur. Intella cellulosa integumenta communia inter et

galeam aponevroticam , tum hanc inter et peri-  
cranium per eam sistitur hydrocephalus exter-  
nus. Omnis aqua , quæ accumulatur in cavita-  
te cranii sive duram inter et piam matrem de-  
struendo arachnoden , sive in quatuor ventricu-  
lis cerebri et in cavo septi pellucidi nuncupat-  
tur hydrocephalus internus. Quoties cerebrum  
ipsum certum solutionis gradum assecutum pul-  
taceum quasi semifluidum deprehenditur , solet  
appellari hydrops cerebri.

Num hydrops cerebri causa vel effectus  
hydrocephali sit ? num utrumque se mutuo ex-  
cipiat ? determinare ommittimus.

Quoniam obstetricatori cunctæ hæ dis-  
tinctiones tanti momenti non sunt , ut in agendis  
peculiare præceptum expostulent , tantummodo  
hydrecephalus internus , quippe qui nonnunquam  
molem , ut a pelvis cavitate minime suscipi que-  
at , consequitur , considerandus est.

Durante graviditate is conjectari nequa-  
quam potest , modo ingruente partu enunciatur  
typis , quibus caput per se ingens incedere so-  
let. Pervecto vero , ut dígito attingi possit , ca-  
pite deprehenditur hoc idem supra pelvis oram  
quovis dolore parturientis tensum , sed men-

tiens vesicam novam, quando nullum os ob ingentia horum interstitia attingi potest. Ideo non mirum, si erramus ab initio deficiente alio quodam hydrocephalo proprio phœnomeno \*).

---

\*) Huc bene spectat celebris galliae obstetricatoris observatio, quæ suo sequitur idiomate:

Une infortunée qui depuis deux jours se livroit vainement aux efforts de l'accouchement, accusant sa Sage-femme d'ignorance, en fit appeler une autre, de qui elle reçut en effet des secours plus efficaces. Celle-ci trouvant à l'orifice de la matrice une tumeur flasque, et qui se durcissoit pendant la douleur, se persuada que les membranes étoient encore entières, que la femme en travail n'avoit rendu que des fausses eaux, et essaya, mais inutilement, d'ouvrir cette poche avec le doigt; après quoi elle y plongea la pointe de ses ciseaux, et donna issue à ce moyen aux eaux qu'elle regardoit comme celle de l'amnios. La tête de l'enfant commença dès-lors à s'engager, mais sous une forme extraordinaire, qui deconcerta cette seconde Sage-femme, et lui fit demander un Accoucheur. Celui-ci n'eut qu'à dissuader les parens de l'enfant de l'idée affligeante qu'ils éprouvoient d'avoir, disoient-ils, engendré un monstre, la femme n'étant accouchée, que d'un enfant hydrocephale, dont je conserve le squelette.

Auxilio conatum maternorum vero magis procedens hydropticum caput etiam minus eruditis innotescit. Exhibit exiguo virium dispendio tumorem considerabilem parietali communi tamen minus elasticum, neque nisi sub dolore tensum. Ossa cranii, quæ hic valde flexilia deprehenduntur, distant a se invicem, et formant interstitia, ubi pro re nata aliqua fluctuatio percipi potest.

Ob capitinis insignem prolongationem et extenuationem plurimi hydrocephalorum tarde quidem vi tamen materna excludi observantur. Aliquando autem certa aquarum copia ita antrorsum urgetur, ut caput quidem succedaneum compareat, quo non obstante superstes in cranio aquarum pars, quæ expandendis sufficit ossibus, partui impedimento est. Bicipitis formatum caput partum difficilem, diuturnum, ac pro re nata nonnisi arte absolvendum reddit.

Falluntur idcirco, qui haud artis auxilium ad auferendam aquam expetunt, æque ac qui prima aquarum sensatione cuspidem introjicere non morantur. Et hic medium tenere sapientis est.

Status sanitatis et virium matris pro bono eventu hujus rei maxime decidit. His fa-

ventibus otiadum atque sperandum est partum quamvis sero et stupenda cum capitis exporrectione tamen sua sponte absolutum iri. Quoties vero viribus exhaustis spes nulla superest illas recuperandi, quod determinare et in universa arte sanandi sive medicina et in arte abstetricia summi momenti est; nos vero percrebre latet, tum pergamus ad evacuationem aquarum methodo utentes, quæ per se lethalis non habetur. Simplicissimum vero est

## OPUS EVACUATIONIS.

Collocata postquam fuerit parturiens in lecto, uti in plerisque operationibus artis obstetriciae fieri solet, introductus in vaginam digitus index alterutrius manus imponitur loco manifestæ fluctuationis (interdum hæc non nisi peritæ manui patet) cranii, quo duce lanciforme instrumentum acutum ope alterius manus caute, ne genitalia lædat, infertur, donec attigerit, qui electus erat, locum. Tum acies digito retracto, quantum ad penetrandum cranium requiri putatur, eliberata intruditur.

Cuspide canullata (Troisquart) hic uti minus convenit. Major enim resistantia per il-

lam superanda est; neque canulla alioquin irritante, ut apertura hiet, opus est. Nimia aqua facile effluit, de residua non agitur.

Si punctio ex sententia succedit, aqua in instanti prosilit, atque effluit, quam diu pressio in caput durat.

Observare nunc est obstetricantis, num vires uteri diminuta extensione resuscitatæ in fœtum quidquam valeant, quo in casu plane otiose expectandum et naturæ omne opus relinquentum est.

Horum fœtuum plurima pars brevi post partum interire solet eadem ratione, qua proles successu temporis hydrocephalum consecutæ pereunt, si qua forte aqua detrahitur. Isti enim humores neque tam alienigeni neque tam inutiles vicino imo contiguo cerebro sunt, ac putantur. Videntur illud potissimum valde tenerrum et semifluidum undique fulcire. et impedire, quo minus ipsis vasorum pulsibus destruantur.

Quamdiu in tractu osseo matris hæret eliberatum ab aquis caput fœtus, pressio undique existens, et vices aquarum explens cerebri functioni subministrat; quam primum autem

natus est fœtus, mors brevi sequitur. Namque non amplius fultum aquis cerebrum succumbit proprio processui dynamico, et abit in istam materiei decompositonem, quippe quæ sensibus nostris percipi nequit; auferendæ interea functioni sufficit; quæ quoque tanto facilius extinguitur, quo ex subtiliori materie resultat.

Læsio visibilis cerebri, quæ adultis infligitur, et interdum sanatur, illi comparanda non est; neque mirari oportet priori invisibili funestum, et huic, quæ bene cerni potest, nonnunquam salubrem esse eventum; illa enim in extensæ materiei, hæc nonnisi in partis limitatæ solutione consistit; quæ ultima ab illibata et bene constituta universalitate organismi faciliter superari potest.

Sufficiat interim hac operatione fecisse, quod nostrum erat: salvandam salvavimus matrem, etiamsi ocyus seriusve obiturus fœtus prierit.

Haud raro verum in pejus adhuc res ruunt, nec humorum jactura, nec cranii ossium fornicatum avicinatio reciproca interdum sufficiunt explodendo e matris sinu capiti. Hic basis cranii minime cedens ea disproportione erga

pelvis ostium impingitur, ut et alioquin sufficientibus matris viribus per pelvin evehi non possit.

Incassum impensis in tali rerum statu matris viribus fœtus dubiæ vitæ non amplius parcendum, potius transeundum est ad operaciones, quæ sequuntur.

---

## S E C T I O     III.

### *Excerebratio.*

---

Visu carentem magna pars veri lateſ.

S. Oedip.

---

**E**xcerebrationem in perforando et dilatando cranio acutis instrumentis, quo cerebri ipsius pars maxima educi possit, consistere, nemo ignorat. In quibus autem casibus terribile hoc opus excusetur, et exposcatur, dissentientibus in hac re eruditis clare determinandum adhuc superest.

Mors fœtus antecedens pro prima ad excerebrationem conditione habetur, quam si obstetricator, quin illa innotescat, susceperit, infanticidio inculputur.

Merito hoc fieret, si darentur signa, quæ fœtus mortem indubiam redderent, nec

non matris status sanitatis et virium semper ejusmodi esset, ut illa absque ejus detrimento expectari possent. At, unde signa indubia mortis foetus delitescentis in sinu matris? cum vita crebre lateat, quin aliquo indicio manifestetur, cum et asphyxia hominum adulorum nostris sensibus expositorum nonnunquam decipiat.

Inter phœnomona vitam foetus indicantia, quibus maxima fides, habentur veri et manifesti motus foetus, et pulsus arteriarum funiculi umbilicalis, si forte, ut tangi possit, prolabitur. Quum autem et in vivente foetu, postquam aquæ effluxerint uterus circa illum contractus omnem ejus motum auferat, et umbilicus raro procedat, neque raro intercipiatur, nobis defectus horum signorum argumento pro morte foetus esse nequit. Et ipsi motus foetus putati quoties non deceperunt matres suspicantes foetum viventem, quem bihorio vix elapso putridum pepererunt? Quoties obstetricantes spe vitæ omni amissa non extraxerunt instrumentis destruentibus foetum spirantem per aliquod tempus? Quapropter obstetricator nonnisi dum putrefactionis foetus manifesta industria sine periculo vitæ matris expectare potest, cessat foetus vitæ causa in dubio versari.

Præter hanc alia adhuc conditio consideratur. Exposcitur nempe etiam ad instituendam excerebationem, quod angustia pelveos matris erga caput fœtus tanta non sit, ut id licet excerebratum, licet comminutum per solitum meatum enasci nullo modo possit. Hoc in casu, quem interea, postquam basiocæstrum innotuit, ægre agnosco, unica hysterotomia liberandæ a fœtu matri superesset.

Cæterum excerebratio in casibus, qui sequuntur, instituenda censetur:

i. Dum evicta fœtus morte ejus caput ob insignem erga pelvin matris disproportionem nec intensissimis parturientis doloribus per solitum iter propelli, neque ope obtusorum instrumentorum educi potest.

Hic observari debet, quod sicut fœtus mortis certitudine sœpissime destituimur, sic et rarissime de dicta disproportione pelveos adipiscimur strictam cognitionem. Varia ad hunc scopum excogitata instrumenta pelvimetra vocata, jam dudum molesta, incerta, et vana deprehensa sunt. Complacuit quidem omnium maxime, quam descriptis Baudeloque \*), methodus me-

\*) Art des Accouchemens Tom. I §. 132.

tiendi conjugatam pelvis creberrime vitiosam sola digitii indicis ope. Verum neque haec sufficiens est ad eruendam, uti fieri debet disproportionem praesumptam eludente cedilitate os-sium crani.

Sincerus ideo obstetricator se potissimum ejusmodi disproportionem nonnisi diuturnis et vanis luctaminibus matris, beneque ponderato virium dispendio suspicari, iisque nixus excerebrationem suscipere fatebitur.

Qui vero ægre ad suscipiendam excerebrationem determinantur, atque potius forcipis applicatione hanc disproportionem pelveos erga caput fœtus tollere contendunt, meminerint, quod forcipis usus spatio, de quo hic potissimum agitur, indigeat; neque illa comprimendo et redigendo caput in minus volumen compensare spatii defectum valeat, cum solummodo calvaria fornicata, basis autem crani nequaquam cedat. Quia autem insuper haec calvariæ cessio et proinde inducta diminutio capitis viribus maternis abundantibus modo magis congruo, atque matri salubri effici potest, neque tantum disproportioni pelvis erga caput fœtus, quam vires matris insufficientes (quibus interim metiendis nullum hactenus extat metrum, neque de præseu-

tibus nisi approximativum , neque de futuris nisi probabile judicium ferri potest ) forcipis applicationem exposcunt.

Supposita quoque fœtus morte , cur matrem forcipe injuriari , cur non potius diminuendo per excerebrationem caput fœtus partu levare ? ignoro .

2. Patuit jam ex præcedenti sectione , quod , si post debite institutam punctionem in ingenti hydrocephalo mater neque sua sponte , neque instrumentorum obtusorum ope partum eniti vallet , excerebratione opus sit .

Hic obstetricator circa certitudinem , num vivat , numve defunctus sit fœtus , minus anxius esse debet . Pernotus est miser status ejusmodi infelicis creaturæ , nequaquam valentis , ut mater ejus causa alicui vitæ discrimini exponatur . Hinc non illum , sed hanc conservare satagit obstetricator , atque instituat excerebrationem , antequam matri aliquod immineat periculum .

3. Dum nec vita nec morte fœtus evicta angustia pelvis matris et capitinis fœtus magnitudo , inter se minime concordantes neque viribus matris , neque instrumentorum obtusorum ope in partu superari possunt .

Inculcatur in hoc casu , ne obstetricans excerebrationem festinet , potius , tentans interim rem ope obtusorum instrumentorum terminare , expectet , donec fœtus indubie expiraverit . Et sane tentet juvare prius , et quamdiu mortem fœtus expectare debet , et potest , instrumentis obtusis , sed caute , ne destruтива evadant ; neque ipse infanticida habeatur .

Acerbius econtra se res habet , dum obtusorum instrumentorum applicatio eam , quæ vitæ tam fœtus quam matris funesta esset , violentiam exposceret , neque de fœtus morte adesset certitudo , neque status matris urgens separationem cunctari , ut de fœtus morte certiores fiamus , admitteret .

Sœpius , ac creduntur , interveniunt hæ angustiæ . Verum solent abscondi ab obstetricatoribus ipsis . Intenti salvando fœtui simul cum matre utuntur instrumentis obtusis , donec injuriati sint fœtum quantum satis ad auferendum omne dubium mortis ; quo facto ad excerebrationem pergunt , excusabiles interea , dummodo absque matris detrimento efficiatur . Dico excusabiles , quum eventu prorsus æquent eos , qui excerebrationem peracturi otiantur , donec fœtus sponte moriatur , vel saltem nullum signum vi-

tale manifestet. Si hac occasione simul consideramus, quam exquisito opus sit sensu ad di-judicandum obtusorum instrumentorum violen-tiam, quæ sufficiat amovendo ab obstaculo, quod subiit, capiti; quamque facile eadem ad perniciem fœtus, præsertim dum obstetricator peculiari dexteritate non dum pollet, exagera-tur, potest interrogari, num detur obstetrica-tor, quin prolem jugulasset?

Donec igitur forceps ad fœtum solum funeste agit, non oportet nimie mœrere; pro illo enim in hoc rerum statu melior sors ægre procedit. Quemadmodum vero certus da-tur violentiæ gradus, quem caput absque detri-mento pati valet, ita et partes matris genitales nonnisi ad certum gradum maletractari ferunt. Latet nostros sensus hic gradus, quem ultra ma-tri interitus imminet. Magni certe momenti pro obstetricante divinare istum!

Putans ergo ( de certitudine hic non agitur, et falluntur, qui artem abstetriciam in-ter artes, quibus certa sunt principia, numera-re prætendunt) in partu violentiam ad caput fœtus istam requiri, quæ et hujus vitam aufer-ret, et matrem ad vitæ periculum usque sævi-ter afficeret, obstetricator abstinebit ab obtuso-

rum instrumentorum usu , et præferet alteri salvandæ alterum immolare \*).

Plerique peritorum , ne videantur fœtui necessitatem ultimam denunciare , otiantur in hoc casu , donec nullum amplius signum vitale manifestetur , tumque pro instituenda exerebratione mortuum fœtum declamat ; idem facientes bene faciunt , donec otiari non nocet.

Hic audio certos his mortis indicis malecontentos defensores vitæ fœtus exclamantes : nos plures fœtus una cum matribus ope forcipis salvavimus , et proinde terribilem evitavimus exerebrationem . Hic dissensus ex non debite facto casuum discrimine proveniens difficile illustratur , quum necessarium questionis objectum sensibus nostris ad alteros alterosve convincendum satis non patescat . Potest in hoc statu conjectari , quod forsitan forceps in pelvi bene constituta , vel saltem nimis non anomala , hinc in partu potius ob alias rationes retardato matris non admodum vulnerabilis prospero utrique cum successu adhibita sit .

Ingens est numerus ejusmodi forcipe peractorum partuum . Rarus est obstetricator ,

\*) Ch. Tr. Richter de infanticidio in artis obstetriciæ exercitio non semper evitabili . Lips. 1792.

qui plures recitare ignoret. Ego non valeo. Ejusmodi plerique sine meo interventu successerunt.

Ubi contra vera pelvoes angustia obest, neque mater rara robusticitate gaudet, sane vix abesse potest, quin forceps destruens evadat. Partes genitales matris sæva pressione et frictione violantur, quum caput fœtus lineam a forcipe præscriptam sequi coactum nequeat rotando evitare angustias, quas solet, dum nudum procedit. Vi reiterata, tractibus repetitis, labore nonnunquam per plures horas sudorifero binorum aut trium sibi mutuo succedentium obstetricatorum caput tandem eliditur, quale? — non melius quam excerebratum, et mater brevi vitam cum morte commutat.

Prætententibus non forcipis usui sed incongruae ejus applicationi malum vix relatum esse imputandum, sibique reservantibus dexteritatem peculiarem e hac angustia eluctandi ex corde gratulamur, nec non commiseramur gentem, quæ ejusmodi virorum excellentium beneficiis destituitur. —

Repeto, quod nolim contemtu vitae fœtus tyronibus in arte ansam dare, ut aliquando

præmature violentas imponant manus. Tentent forcipe juvare, quam diu matri non nocent, utantur ea, quantum parturiens respectu status sanitatis perferre posse videtur, hoc incassum facto advocent insuper alium quemdau artis sordalem peritum, et sincerum consulturi quandiu matris status miser fœtus vitæ ambiguæ causa auxilium cunctari permittat. Calamitate verum increcente caveant ne momentum salutis pro matre effugiat et potius ocyus quam serius ad excerebrationem transeant saltem salvaturi matrem.

Experientia edoctus matris sortem non satis vereri possum. Et ego utrique vitæ intentus utramque perdidi. Trium casuum præcipue tristi cum affectu memini, ubi, usus ab initio forcipe blande et omni cum cautione, augebam vim sensim sensimque, reque non succedente inopinate, et quin vulnerabilitatem matris debite respexisse, in violentiam illapsus sum, qua fœtus extraxi — mortuos, et matrum genitalia adeo injuriatus sum, ut brevi arescerent, inflammarentur, et demum mors ipsa e febre puerperali et gangrena subsequeretur.

Quoties mihi non exprobravi, me ab excerebratione fœtus tempore debito destitisse,

qua matres martyrio ereptæ forsan adhuc dum essent in vivis, forsan matres felices aliarum prolium!

Veteres quos inter, uti exstat, ipsi profani, alias opis adhuc ignari et necessitate compulsi ausi sunt terminare talem miseriam sectione dicta cæsarea sive hysterotomia, quam quoque seriores, quamvis jam principiis artis ducti, in tali rerum statu sœpius, sed fere semper deplorabili cum eventu, instituebant. Verum et modernorum quidam salvandæ fœtus vitæ causa, minusque matris sortem respicientes, suadent hysterotomiam instituendam, ubi angustia pélvis fœtui quidem mortuo et diviso, non autem viventi transire permittit.

Si autem consideramus, quod in hoc casu nulla detur præsertim tempore, quo sibi mater vires suas conservare possit, definitio, num angustia pelvis matris et rigiditas capitis fœtus eæ sint, quæ nonnisi fœtus interitu superantur, quasque nonnisi ex diuturno et frustraneo molimine matris judicare discimus. Si consideramus, quod hoc temporis intervallo nec obstetricantes nec obstetricandæ otiari soleant, more solito et præceptis sanctionato varia in auxilium vocentur, mater ad nixum lacescantur, et forceps vel vectis

adhibeatur, non difficile erit judicatu, quid spei et salutis post tantos impetus ab operatione habendum sit, quæ in semet ipsa maximum complectitur lethalitatis gradum. Ventris enim et uteri sectio, fœtus extractio, placentæ violenta evulsio, sanguinis per ventrem diffusio, et plagæ cruenta sutura sunt multo plus quam necessaria ad necandam matrem, cui brutorum natura non inhæret. Calculo quoque historiarum operationum harum abominabilium ducto patet inter quindecim vix unam superstite matre perfectam fuisse.

Quoniam igitur per hysterotomiam matri fere sic ut fœtui per excerebrationem moriendum est, ista contra per excerebrationem, vel, quam descripturus sum, basiocæsuram cranii fœtus debito tempore institutam ea cum probabilitate ac fœtus per hysterotomiam salvari potest, superest, ut definiatur, quæ vita alteri præferenda, sive quod malum inter hæc duo minus eligendum sit.

Pateat e sequentibus:

i. Mater completum sui generis ens, gaudens jam organisatione, qua, si fata cuivis inevitabili excipias, apta est ad consequendam ætatem

generi destinatam. Fœtus vita incerta in matris sinu quam facillime desinit, postquam natus est; imbecilli enim structura, anteaquam ad maturitatem pervenit, crebris noxis exponitur, quibus superandis impar plurima pars succumbit.

2. Interitu matris societati aufertur individuum secundum qualitates, quibus excelluit, carum, affinibus affinis, conjugi conjux, et prolibus mater dilecta. Mœror universalis, gemitus continui, et lamentationes testantur valorem defunctæ \*).

Fœtus societati, cui nondum est, penitus ignotus et indifferens potest aliquando consequi, quibus prosit, proprietates; potest verum etiam criminibus onerari pejoribus morte. Ejus obitu nemo afficitur, nemo dolet, si vis excipere parentes, qui tamen brevi, cum commercium cum illo nondum habuerint, obliti, atque de ejus futura optima sorte persuasi se consolantur. Neque civitati unius fœtus mors

---

\*) Sano itaque sensu et merito quondam gallo-rum princeps obstetricatori acclamasse fertur:

Sauvez la mère et ne prenez pas gard à l'enfant.

tanti momenti esse potest, quæ interdum in bellis destruentibus innumeris civibus bene valentibus non parcit.

3. Mater sui conscientia, patitur, sentit, scit aestimare vitæ, quam perdere deberet; præmium. Solicitudine et cura pro suorum sorte dolet valericere, tormentis obit. Fœtus vita automatis adinstar multo minoris est momenti, et ejus passio vix aliqua consideratione digna. Impos dignari valorem vitæ obsopit, ac si haud vivisset.

4. Cultus denique non minus interest matris vitam vitæ fœtus præferri. Sors matris ambigua habetur. Indiget et desiderat momenta penitentiæ, dispositiones varias. Fœtus sors certa, meliorque interdum, quam si adolevisset; præsertim si consecutus est baptismus.

His bene ponderatis restringamus hysterotomiam ad unicum casum, quo fœtus nec vivus nec mortuus, nec totus nec divisus per legale iter enasci potest. Sequamur ceterum obstetricatorum anglorum exempla, qui jam dudum etiam sub incerta fœtus morte, dum necessitas urget, excerebrationem hysterotomiæ præferunt, proinde certe plures matres conservant,

quam conservarent proles sectione cæsarea. Declaremus insuper, cum nemo de contrario nos convincere valeat, fœtum ad tranquillitatem affinium mortuum, et incipiatur tandem, uti sequitur:

### ACTUS EXCEREBRATIONIS.

Depositæ in lecto transversaliter, non secus ac id in plerisque operationibus artis obstetriciæ fieri solet, matris crura truncō adducta duæ assistentes amplectuntur liberum permettentes accessum ad genitalia operatori munito ad hunc scopum perforatorio aptissimo simplici (non curvato) inuncto et frigore proprio privato. Ipse genu dextro nixus introducit in vaginam inunctum digitum utrumque indicem et medium sinistræ manus usque ad caput fœtus exploraturus, quo facillime et maxime convenienter cranio instrumentum immitti possit.

Plurimum suturæ et has inter sagittalis eliguntur. Si interea nullæ suturæ digitis prehendi possunt, tum ipsum os, quodcumque præest, perforandum erit.

Licet ea capitis magnitudo, ut in pelvis ostium insinuari et firmari nequeat, vix un-

quam occurrat, id potius communiter immobile pelvi adfirmari solet, tamen expedit, ut alius quidam minister ambabus manibus abdomen cum utero prægnante fulciat, atque fortiter teneat. Quo tempore obstetricans digitos suos electo loco impingit sedulo cavens, ne quidquam aliud interponatur, et dicit perforatorium dextra manu prehensum juxta sulcum digitorum, custodientibus his, ne forte vagina offendatur, ad locum destinatum, cui intruditur. Quo magis necessitas perforandi adest, quo ideo firmius caput obstat, eo facilis perforatorium penetrat.

E superata resistentia et effluxu sanguinis cum cerebri particulis facti certitudo emergit.

Ad majorem diminutionem parandam folia scindentia istius perforatorii ambabus manibus in crucis forma sejungendo, tumque in circulum rotando appertura dilatatur, quo cerebrum simul destructum et a meningibus solutum facilis effluat. Trepanis a nonnullis ad hunc finem inventis tanta appertura et tam commode haud efficitur.

Perforatorii loco, quod tum seponitur, digitus quivis cranio immittitur, quo cerebri plus quam necesse eliminari potest, adeoque

peculiare instrumentum cochleare, quo quidam utuntur, superfluum redditur. Perforato, uti dictum est, et destructo quantum satis cerebro otiandum atque observandum est per aliquod tempus, quantum natura nunc in hoc negotio valeat. Si resuscitantur uteri vires, intensitate increscunt, efficaciores in caput fœtus agunt, idque propelli sentitur, tum partum sua sponte absolvi sperandum est. In casu vero, quo, non obstante hac evisceratione cranii et conatu matris, caput minime promoveri videtur, tum basis ima cranii cavitati pelvis matris satis non respondet.

Solet nunc a non paucis forceps de nuo, sed ut plurimum incassum adhiberi, cum illa capiti evacuato minus convenienter quam adhuc dum integro applicari possit. Timendum quoque est, ne frusta cranii, quæ premendo eliciuntur, vaginam infestent.

Alii forcipi substituunt hamulum acutum, cui interea sequentia objiciuntur inconvenientia.

1. Est difficilis, quo deberet, applicatu, indigenis spatio, quod si adesset, partus forsitan sua sponte succederet.

2. Cum non in centrum capitinis fœtus, sed in alterum alterumve latus potissimum orbitæ vel ossi

temporis adigi possit , tractus . qui ad faciliorem partum requiruntur , non efficiuntur ; caput enim nimis ad latus , aut plane major ejus diameter in minorem pelvis urgetur.

3. Cum denique nullam obtineat firmitatem adhæsionis , et durante aliquanto violentiori attractu quam facillime elidatur , vix abesse potest , quin nosmet ipsos vel saltem parturientem crudeliter feriat.

Oportuit in hoc deplorabili rerum statu alia excogitare instrumenta , quæ firmius capiti affigantur. Eo tendebant Danavia surinamensis , Mauriceau , Levret , Mesnard , Stein , Fried , Plenk , Boer , Pole , Floriep et alii , qui singuli de hac re sane meriti interea tamen inventa ad hunc finem instrumenta in omnibus partibus difficilibus sufficientia non exhibuerunt.

Tentans itaque hunc defectum supplere , atque jam copiosis novum adjiciens instrumentum redargui non credo , etiamsi idem valor , quo mihi arridet , non agnoscatur. Dissidens quoque an non fortasse quidam obstetricatorum veterum in simile instrumentum ante me inciderit , neque antiquitati id eripuisse videar , volvi , revolvi quæ possideo opera circa hanc

rem versantia, quin illum reperissem; neque alicubi extare puto suspicans eruditiores me viros certe non intermisisse, quin id clarius in publicum usum vocarent.

Quale istud instrumentum, quæque illius actio sit, in sequenti sectione patebit.

---

## *S E C T I O   I V.*

### *Basiocæsura.*

---

Non semper feriet, quodcunque minabitur arcus.

Hor.

---

**E**x præcedentibus experti sumus etiam post eviscerationem cranii fœtus in partu difficiili impedimentum successus desiderati in basi cranii, quæ sive positive sive relative permagna est, crebre hærere; summiique momenti fore, ut ista, quantum sufficit, comminuatur. Patuit quoque hactenus ad hunc finem usitatis instrumentis frusta cranii nonnisi basi tenus defringi et decerpi, basim ipsam vero minime solvi.

Oportebat igitur scrutari, quomodo et eadem diminui possit. Certe et mihi primo intuitu nimis firma ad aliquod instrumentum adiendum basis visa est; acutiori autem contem-

platione præter partes petrosas ossis temporis ubique sed congruo instrumento solubilis apparuit.

Excogitavi tum proprium ad hoc opus instrumentum. Institui hoc multa experimenta, quæ prorsus ex sententia successerunt. Et cum ope ejusdem basis ima cranii revera penetrata et plus minusve comminuta sit, audeo appellare id Basiocæstrum, actionemque ipsam Basiocæsuram.

Propriæ ad hanc operationem non dantur indicationes. Instituenda proponitur tum in omni casu, ubi excerebratio huc usque exposcebatur, tum in casu, ubi hæc eadem jam perfecta, sed vana deprehensa erat: quapropter non est nisi actus excerebrationis in destructionem basis cranii continuatus.

Quoniam hoc basiocæstro integumenta in capite tensa et fornix cranii et meninges cum cerebro dissecari, et destrui bene possunt, id perforatorio usitato, quamvis minorem efficiat apperturam, simul substitui potest, præsertim si digitus cranio immissus juvat destruere cerebrum.

Prefertur nunc ipsa operandi methodus  
sive

### ACTIO BASIOCÆSURÆ.

Quamvis basiocæstrum fere in quovis parturientis situ applicari potest, tamen præfertur eandem collocari transversaliter in lecto, quemadmodum solet in plerisque aliis artis obstetriciæ operationibus, veluti in versione foetus applicatione forcipis, perforatorii etc. Binæ ministræ ad latera parturientis assistunt tam ad firmando ejus crura, quam ad alium scopum, qui paulo inferius indicatur, tertia abdomen una cum utero gravido ambabus manibus bene fulciente.

Si præsens habetur perforatorium commune, præcedere potest excerebratio, uti in præcedenti narrata est, secus obstetricator agit, uti sequitur: Genu dextro nixus digitum inunctum indicem et medium manus sinistræ vaginæ infert ad caput foetus usque bene cavens, ne, quod non debeat, interjiciatur, atque satagens attingendi fonticuli posterioris triangularis, ubi si potest, vel saltem in ejus vicinitate digitos impingit, et firmat.

Inducit tum basiocæstrum dextra manu prehensum juxta manus sinistræ internam digito-

rum faciem, hisque impedientibus, quo minus vagina feriatur, donec cranium adoriatur. Intrudit ibidem aciem basiocæstri in cavum cranii; quod factum ex superata resistentia, uti in excerebratione præcedenti ostensum erat, innotescit. Nonnihil agitando basiocæstro destruuntur meninges et tentorium cerebelli, ut acies secundum faciem ossis occipitis internam ad foramen magnum perducatur, cui istrumentum utpote profundissimo loco basis cranii inesse obstetricator non difficile animadvertisit.

Debet hoc loco observari, quod aliquo in cadavere præmisso exercitio de basi cranii adeo informari possimus, ut ipso instrumento veluti specillo in vulneribus varia baseos loca ad libitum discernere valeamus.

Securius ad debitum locum pertingere cupientibus consultum sit, ut curent præcedere excerebrationem in præcedenti descriptam. Hiatus ampliori per eamdem parato, et cranio evacuato possunt nonnunquam immittere digitum, quo duce acumen instrumenti, quo debet, tanto facilius fertur.

Foramen interea magnum non est locus ad terebrationem aptus. Mox penetrante

instrumento in cavum spinale et cedentibus vertebris colli opus destructionis eluditur. In circulo autem hujus foraminis attamen cis aggenses, qui ab ossibus petrosis in basi crani formari videntur, si acies adigitur, expedit, et præstat a facie posteriori interiori ossis petrosi deviando in foramen jugulare aut prope illud incidere. In anteriorem vero basis partem si aberraret basiocæstrum, minus conveniret; caput enim fœtus a pectore fœtus deducens posset illius inconvenientem pelvi inferre diametrum.

Postquam demum debito loco acies basiocæstri impacta est, obstetricator incipit manu dextra manubrium basiocæstri firmiter tenens sensim sensimque ac semispiraliter antrorum et retrorum terebrare, et terebrat, donec sublata resistantia cranii basim penetratam esse experiantur. Et minus perspicaci operatori non timendum est, ne subitanea forte irruptione instrumenti aliqua pars matris offendatur. Axi enim pelvis paralella acies continuo truncum fœtus respicit, et si autem ab illa aberraret, caro et cutis in collo fœtus non tensæ satis obsunt, ne illas derepente penetrando matrem offendat.

Facta ex voto terebratione consideret obstetricator, an intus hamuli basiocæstri longitudinem basis cranii respiciant, quod extus ex situ loborum manubrii illis paralellorum innotescit, atque firmiori inservit adhæsioni. Attra-hendo tum instrumentum observet, num hamuli basi sufficienter affirmentur nec ne. Raro oportebit, ut hamuli firmioris annexionis causa evertantur, rarius adhuc, ut nova efficiatur ap-pertura, quæ quoque, si necessaria foret, in altero latere fieri deberet. Interea minime no-ceret, potius præstaret, si reiteratis vicibus te-rebrandum esset; caput enim magis magisque destruitur parturiente vix non inscia, vix ani-madvertente tenue in vagina instrumentum, cum omnia in cavo cranii procedant.

Postquam basiocæstrum, quod fere sem-per facillime contingit, bene basi infixum est, molitur obstetricator tractus sensim sensimque violentiores perpetuo præ oculis habens axin pelvis ellipticam, quam caput pervadere debet; quibus quoque tractibus certe educit caput, ni-si pergrande adsit impedimentum.

Raro accidit, ut attractibus etiam vi-o-lentioribus hamuli erumpant; qui interea, si forte hoc contingit, a calvaria fœtus capti matris

carnem lædere nequeunt. Attamen tum ad evitandum idem inconveniens, tum ad commodum obstetricatoris munitum est basiocæstrum proprio apparatu attractorio, quod in imo manubrio latet.

Ut is agat, primum basiocæstrum basi cranii infixum dirigitur eo, quo axis pelveos indicat; id est ut plurimum postrорsum. Tum tigillum, cui ad evitandas molestas impressiones atque ad id magis fulciendum culticellæ sive spleniola lintea subjiciuntur, ad tuberositates ossium ischii ita applicatur, ut ejus excisura rectum respiens cylindro basiocæstri probe adaptari possit.

Ministri sive ministræ ad latera parturientis assistentes nunc accipiunt tigillum, sic ut altera manus inter fœmur et crus, altera extra tibiam locetur, et crura simul sustineantur; quod tigillum durante rotatione continuo firmiter tenere debent.

Quo facto operator, postquam stylum exilium, quo adnectitur cochlea cava cylindro basiocæstri, abstulerit, hanc eandem et quidem dextra manu rotat; quo simul tempore digitis sinistræ manus cylindrum excisuræ tigilli probe attinet, ne postea cylindro simul rotato hamuli intus decedant. Cum adorta fuerit cochlea cava per

cochleam solidam tigillum, atque hoc debite resistat, veri demum effectus rotationum intrant, quæ tum quoque tarde et semispiraliter peragendæ sunt, paucis sufficientibus ad amovendum ab obstaculo caput.

Brevi resistantia superatur; quod e dupli ratione contingit, sive quoniam caput promovebatur, sive quoniam hamuli erumpabant secum auferentes frusta ossea, nec ne. In primo casu basiocæstrum cranio adhuc adnexum nonnihil rotando cochleam restabilitur, in secundo vero instrumentum totum nullibi adhaerens in nostras manus cadat oportet. Quicquid accedit, expedit, atque favet.

Quando caput a superiori pelvis ostio, quo imprimis retineri solet, revera emotum est, expectari potest, numne naturæ vires reliqua efficiant; nam ægre in pluribus simul locis impedimentum partus existit, angustia potius introitus pelvis amplitudinem exitus parere solet. Non succedente interea post aliquod temporis intervallum ulteriori partu spontaneo potest caput jamjam in cavitate pelvis hærens solius basiocæstri ope, et absque cochleæ usu eliminari.

Cum hamuli basiocæstri vix non semper basi craniī quam firmissime insinuentur (institu-

tis in cadaveribus periculis adeo impacti erant, ut nonnisi dilatando apperturam ope perforatorii communis exsolvi potuissent) violentia quoque attractionis necessaria et bene directa ad libitum adhibeatur, hanc caput certe sequi debet, nisi enorme, induratum, aut plane monstrorum sit, quo in casu omnino ejus resistentiam fieri potest, ut hamuli una cum ossium fragmentis erumpant. Verum quid hoc ad rem? basis inde comminuitur, et aliis hic non datur finis.

In hoc rerum statu perforatio et quidem in altero latere baseos repetenda est, ut et ibidem, si caput attractui non cedit, decerpione potissimum ossis occipitis basis cranii comminuatur, partusque dehinc facilior evadat. Si autem, quod difficile creditu, neque etiam dum tanta devastatio sufficiat, tum potest per apperturam in basi cranii recenter factam et perforatorio communi major adhuc destructio aut ipsa dissolutio basis tentari, eoque tutius fieri, cum inferendo in cavum cranii frusta ossea omnis metus vaginam injuriandi evanescat. Qua facta, et reiterata demum in corpus ossis sphenoidei terebratione ope basiocæstri acquiritur denique firmitas adhæsionis, ut comminuti nunc capit is resistentia certe superetur, idque educatur.

Verbo , terebratur , donec aliqua firmitas in basi  
cranii pro adigendo et attrahendo basiocæstro  
supersit . Cessante autem eadem proinde levato  
partus obstaculo neque alias nisi desideratus  
procedit eventus .

Prævio truncō fœtus dum caput incarce-  
ratur , communiter solis manibus attrahendo ma-  
xillam inferiorem ad fœtus pectus , et in obli-  
quum , hinc magis congruum pelvis diametrum  
exsolvitur ; raro igitur cum obtusis , tum acutis  
instrumentis opus est . Et si tamen ad acuta re-  
fugiendum sit , simplex hamulus acutus pluri-  
mum sufficit , cum immunis sit inconvenientium ,  
quæ prævio capite in eo reperiuntur . Orbitæ  
vel ossi frontis commode applicatur , et simul  
caput in situm , qui cum cavo pelvis optime  
concordat , inducitur et effertur . Si interea ni-  
hilominus aliqua deformitate pelvis matris aut  
vastitate , aut plane monstrositate capitis fœtus  
hujus diminutio inevitabilis redditur , tum et ten-  
tari potest applicatio basiocæstri sive in occiput ,  
sive per os fœtus in cranii basim , ut hæc ,  
quantum potest , solvatur , et hamuli capiti ex-  
trahendo sat firme affigantur .

Num , et quanti momenti basiocæstrum  
circa abruptum , et in utero superstes caput

fœtus sit ? experientia nec dum docuit, neque determinare audeo. Si interea tamen fœtus caput digito quodam foramini occipitis immisso, sive hamulo simplici impacto firmatur, absque dubio posset altera manu basiocæstrum per os fœtus ad basin cranii duci, ibique et quidem in ejus anteriori parte intrudi, et fixum pro attrahendo punctum inveniri.

---

---

## A P P E N D I X

*De præstantia basiocæstri præ ceteris hujusmodi instrumentis.*

---

1. **G**audent summa simplicitate , cuius gratia et a minus dextero , et a rudi operatore , nisi omni sensu destitutus sit , absque matris detimento applicari potest.

2. Complectitur scopos , ad quos obtainendos alias plura requiruntur instrumenta. Potest illo perforari calvaria , destrui cerebrum cum menin- gibus . et basis cranii penetrari ; inservit simul hamulorum et ipsius forcipis loco comminuendo et extrahendo capiti.

3. Apparatu , quo munitur , attractorio salvis operantis viribus spiraliter et quam efficacissime tamen perpetuo ea , quæ sufficit , et non majori vi attrahitur. Nulla fieri potest eruptio matri periculosa , etiamsi instrumentum in cavo cranii reconditum non lateret.

4. Neque per aliud , quod notum est , instrumentum tantum in basi cranii iter parari , neque

aliud instrumentum tam firmiter affigi potest quam hoc, cuius quoque acie acuta, firma, cuneiformi ad ossa destruenda valde idonea cranii basis certe destruitur, atque hamulis acutis firmissimis et probe adactis educi potest. Res sane magni momenti in partibus ob prægrande erga pelvin caput impossibilibus; in partibus, qui et hodie dum nonnisi hysterotomia absolvendi censentur.

5. Intra cranium agens volumen capit is ac cetera instrumenta extrinsecus applicata nequaquam auget. Qua de causu et actus durare, et reiterrari plurium horarum spatio possunt, quin mater de minima sensatione dolente conqueratur; ideo a miseriis, quæ tam sœpe ab instrumentis vaginæ contiguis induci solent, omnino vindicatur.

6. Centro capit is insinuatum fertur per axim pelvis, quin obsit, uti forceps, motui rotatorio legali capit is; quod igitur potest pelvin ita permigrare, ut continuo sui diametri cum diametris pelvis concordent.

7. Denique eductum e sinu caput, nisi simul perforatorium commune in usum vocatum esset, aspectu minime terret; præter plagam in cranio modicam, devastationis internæ nihil aspicitur.

---

# Explicatio tabulæ.

---

## FIGURA I. Basiocæstrum.

Longitudo totius instrumenti  $10''7$ ,  $4'''$  viennensisibus *A*. Solidum irregulare terminatum a superficiebus planis *a d b c*. *a d e f* quadrilateris et triangulis æquicruribus *a b e* et *d c f*.

Plana *a b e d* et *d c f* in intersectione *d c* constituunt in parte sinistra angulum polyedricum  $120^\circ$  et spinam obtusam, uti plana *a d e f* et *a b e* in intersectione *a e* partis dextræ.

Plana autem *a b c d* et *a b e* sub angulo  $60^\circ$  in intersectione *a b* prouti *a d e f* cum plano *c d f* sub eodem angulo exhibent spinas admodum acutas scindentes. Adest spina acuta cu-neiformis a planis *a d b c* et *a d e f* in intersectione *a d* formata.

Angulus *b a e* =  $\wedge c d f$  =  $45^\circ$ ; linea seu spina *a b* = *a e* = *c d* = *d f* =  $1''$   $\frac{1}{2}$ ,  $6'''$ ; linea *a d* =  $0,9'''$ .

In *b c i* et *f e k* formentur curvaturæ instar scotiarum, seu trochili hamulorum vices gerentes.

**B.** Cylindri pars dimidia superior plana exhibet diametrum  $g\ h = 2,8'''$ ; sensim sensimque incrementem sic ut in medio  $l\ m\ 4,4'''$ .

Pars dimidia inferior continuo ejusdem diametri constat ex helicibus cochleæ solidæ  $1'''$  distantibus desinens in parallelopipedum  $n$ . Hujus extremitati inferiori adjicitur manubrium lobulatum  $o\ p$  cochleam cavam gerens in  $q$  una cum cylindro perforatum; in foramen  $q$  adaptetur stylus  $r$ , quo manubrium perforando firmatur in cylindro.


### FIGURA II. Tigillum.

Euleri vices gerens, cuius longitudine  $d\ e\ 5''$   $\pm\ 5'''$  non excedit. Excisura  $a\ b\ c$  adaptetur cylindro in figura prima exhibito  $m\ l$ .  $f\ g = 11$ .


Utrumque instrumentum, quod per se patet, conficitur calybe probe durato et polito. Tigillum autem et potest confici ex ligno puxino, aut alio quodam, sed satis firmo, quod ad minimum vim librarum 50 sustinere valeat.




*Fig: I.*



*Fig: II.*





NARODNA IN UNIVERZITETNA  
KNJIŽNICA

COD155 8



00000320886

